Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1165
Quelle:
Copyright:

lis. decius caesar. et ualerianus praefectus praetorio iusserunt sibi sixtum episcopum cum clero suo presentare. Sunt potius Acta *Sixti* et *Laurentii* connexa. Apud *Mombritium* extant T. II. sed prolixiore ingressu. Apud *Bollandianos*, quae *Sixti* sunt, leguntur T. II. *Aug.* p. 140. quae *Laurentii*, p. 518. *Surius* non habet.

XLVII. *fol.* 165. *Incipit Passio Sancti Clementis Episcopi Urbis Romae Sub die. VIIII. Kl. decembris.* Initium: *Tertius romane ecclesiae prefuit episcopus clemens qui disciplinam apostoli petri secutus ita morum ornamentis pollebat* &c. Abruptum est Exemplum ad ea verba: *Tunc imperator traianus rescribit debere clementem episcopum aut sacrificiis consentire* — —. Integrum extat *Mombritii* T. I. abest a *Surio*.

XLVIII. *fol.* 170. *In nomine Sancte et unice Trinitatis. Incipit Gesta Sanctorum Martyrum. Mauricii exuperii Candedi et Uictoris Cum Sex Milibus. Sexcentis ac Sexaginta Sex.* Initium: *Temporibus Dioclitiani Quondam Romane reipublice principis. Cum ad imperium totius orbis fuisset electus. Omnesque prouintias turbari quarundam praesumptione prospiceret* &c. Pariter abruptum Opus in his verbis: *quidam eis aurifex quem adhuc gentilem esse* — — —. Apud *Mombritium* non invenio; habet tamen *Surius*, habent et *Bollandiani* T. VI. *Septembr.* p. 345. qui Gesta *interpolata* vocant, atque a se cum pluribus *Mss.* collata testantur.

Indiculus praemissus fidem facit, praestanti huic et Antiquitatis sacrae Studiosis nequaquam negligendo Codici praeter Recensita infuisse: *Sermonem in Natali S. Mauricii sociorumque eius*, et *Passionem S. Dionisii sociorumque eius.*

CCXCIX. VII. E. 5.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 80. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricisque distinctus constat *Homiliario*, seu Collectione *Sermonum a Dominica I. Adventus*, quae, ut videtur, olim saltem usque ad *Pascha* pertigerit, nunc vero mutila est, *Sermonibus* LXVI. definita, quorum Themata et Autores enarrabimus: 303

Fol. 1. *In Aduentu Domini Sermo Maximi Episcopi.* Incipit: *Igitur quoniam post tempus ieiunii* &c. Ab alio videtur adpositum hoc initium. Ceterum est *Homilia I. Maximi Taurin.* in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 3.

Fol. eod. p. 2. *Eodem die Sermo Augustini episcopi.* Incipit: *Satis habundeque dixisse me credo* &c. Finit: *Bonum elemosine mandatum est. per quod manibus operamur. corde mundamur. Prestante domino nostro* &c. Non inveni in *Augustino*, sed legitur in edit. *Maur. Ambrosii* T. II. *append. col.* 392.

Fol. 2. *Eodem die sermo leonis pape.* Incipit: *Dominus noster*